



Autorin 1734, 14 21

PERVETVSTÆ ACADEMIÆ ERFFVRTH,
RECTOR
JAM
FACVLTATIS JVRIDICÆ
DECANVS,
TOBIAS JACOB
REINHARTH,
ICTVS, PRÆLAVDATÆ FACVLT. ASSESSOR,
ET COD. PROF. PVBL. ORDIN.
ILLVSTRISSIMI S.R.I. COMITIS DE GLEICHEN ET HAZ.
FELD CONSILIARIVS, NEC NON EJVSDEM CANCELLA.
RIÆ ET CONSISTORII BLANCKENHAIN. DIRECTOR,
CIVITATIS SYNDICVS ET CONSVL,
AD AVDIENDAM
LECTIONEM CVRSORIAM
ET
DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM
AD DIEM XX. OCTOBR. MDCC XXXIV.
LECTOREM BENEVOLVM
HUMANISSIME INVITAT.

ERFORDIÆ,
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typogr.



Ihil profecto Reipublicæ exitiosius,
nec quicquam tranquillitatem ejus
magis conturbat & destruit, quam
ijs sibimet ipsi extra judicium dicen-
di, privatamque vindictam in con-
civem exercendi infrenis licentia,
quæ sicut status civilis indoli aper-
te repugnat, cum per judiciorum constitutionem (1)
supremæ potestates ejusmodi privatam judicandi fa-
cultatem, quæ in statu naturali, seu æquali cuiilibet est
integra, subditis omnino ademerint, solumque jus de-
fensionis privatum ac violentum cæteris paribus iis-
dem reliquerint, (2) e contrario vero, ut quilibet id,
quod ab altero prætendit, competentibus juris reme-
diis in judicio exigat & urgeat, voluerint; (3) Ita variis,
iisque egregiis Constitutionibus illis, qui privatæ auto-
ritati frenum laxantes sine judice sibimet ipsis jus dice-
re, imo alterum ad id, quod prætendunt, præstan-
dum vel per vim compellere, vel alia facti via debito-
ris res occupando sibi consulere audent, haud levis
obex fuit positus. (4) Exstat hac de re famosum Divi

- (1.) HUGO GROT. de J. B. & P. L. t. l. 7. §. 2.
 (2.) E. GRIBEBNER. Princ. Jur. Nat. L. 2. c. 3. §. 3.
 (3.) Pr. Inst. de actionibus ibi in Judicio
 (4.) §. I. Inst. Vi bonor raptor.

MARCI Edictum in L. Extat 13. ff. Quod met. & IMP. VALENT. THEOD. & ARCADII Constitutio in L. 7. C. unde vi. In priori saluberrimesancitum, ut, si verus creditor propriâ autoritate & sine judice rem aliam vel pecuniam debitoris occupaverit, ius crediti amittat; in posteriori vero non eadem solum poena repetita, sed quoque eo extensa legitur, ut verus dominus rem propriam ita occupans dominio excidat, & rem occupatam restituere, in casu vero rei alienae ita occupatae præter rem & aestimationem ejus præstare possessori teneatur. Satis sic prospectum fuit tam vim compulsivam, quam ablativam à creditoribus vel dominis passis debitoribus vel aliis possessoribus, cum alias juxta effatum VLPIANI (5) debitorum ad solvendum violenter à Creditore compulso nec actione quod metus causa, nec ipso statuente IUSTINIANO (6) in casu adhibitæ vis ablativæ Actione vi bonorum raptorum succurri potuisset. Impræsentiarum non morabor ea, quæ de Non usu saluberrimorum harum provisionum Saxonico, contra HENNING. GODENIVM (7) defensum ire conatus est CARPOVIUS (8) nam ante me satis perspicue ostendit SCHILTERVS (9) ex mero errore Glossatorum & Interpretum Juris Saxonici factam esse, ut dictis Constitutionibus penalibus Juris communis in Saxoniâ nuncius missus fuerit. Neque opus est, ut de Praxie arundem & viridi observantia in aliis Imperii nostri Germanici Provin-

(5.)

ciiis

(5.) L. 12. §. f. ff. Quod met. caus.

(6.) Supra cit. §. 1. Inst. de Vi bonor. raptor.

(7.) Confil. 68. n. 10.

(8.) P. 2. Conf. 35. def. II.

(9.) Exerc. ad ff. XI. §. 14. seqv.

ciis in universum plura proponam, cum STRYCKIVS (10)
idem pensum plenissimâ manu jam tum absolverit, at-
que per ipsas Imperii Leges Germanicas (11) usum
fori egregie corroboraverit. Interea observationis
loco addendum censi, dari utique & post excita-
tas Divales Constitutiones casus, ubi quis absque judi-
cio & judice sibimet ipsi prospicere & propriâ autorita-
tate rem mobilem debitoris impune occupare, imo &
personam arresto constringere potest; Adduxit unum
VLPIANVS (12) scilicet ubi periculum in morâ &
debitor fugitivus est, ita ut judicis copia illoco haberi ne-
queat. Sane Edicti Div. MARCI pœna amissionis cre-
diti tali casu eo magis cessabit, quo minus dici potest,
vim fuisse debitori fugitivo ex eo, quod sine judice
Creditor res suas poposcerit, illatam, cum judicis copia
haberi non potuerit, periculum econtra in morâ sum-
mum subfuerit. Sed an idem jus apprehendendi rei
immobilis possessionem hypothecæ nexus adstricte,
contradicente debitore, Creditori indulgendum, in ca-
su, quo hic ita per pactum expressum sibi prospexit?
Sane nec hic Edictum poenale amissionis crediti locum
sibi vindicare posse, ipsi Impp. SEVERVS & ANTONI-
NVS (13) fassi sunt, adjectâ decidendi ratione: cum nec
is vim fecisse dici possit, qui conventionis legem pecuniâ non
redditâ bonâ fide exercuit; Cum vero iidem Impp. ad-
dant:

(10.) *Vsi. mod. ff. L. IV. t. 2. §. 9.*

(11.) *Ordin. Cam. Womrat. de Anno 1511. Rubric. wenn es
in Irrung der Possession §. Und ob sich ic. Rec. Imp. Ra-
tisbonens. de Anno 1531. Rubric. Cammer-Gericht betref-
fend §. 15.*

(12.) *L. 10. §. 16. ff. de his, que in fraud. cred.*

(13.) *L. 3. c. de Jur. Pignoris.*

dant: Attamen autoritate Praefidis possessionem adipisci debeat: statim apparet, possessionem sine judice ita adeptam nihil feci non esse manutenibilem. Laxiori enucleatione donabit praesens thema

NOBILIS ATQUE CLARISSIMVS
DN. AVGVSTVS LEISTENIVS,
Jurium Candidatus dignissimus, & Advoe. Sax. Elect.
immatriculatus,

cujus vitae ac studiorum ratio nunc mihi venit exponenda. Vitam scilicet naectus Dresdæ prid. Calend. Febr. Anno MDCC VI. patre Domino GOTTLÖB LEISTENIO, J. U. D. dum viveret, & Causarum Patrono consultissimo, nimis præmatura verò morte eidem ex filialibus amplexibus eheu! erepto. Matrem suspicit adhuc superstitem honestissimam ex gente DORNBLÜTHIANA progenitam, quam ut Deus optimus maximus ad seros usque annos salvam sospitemque Nostro servet, peropto animitus. Avum ex linea paterna habuisse sibi impense gratulatur Dn. M. JOACHIMVM LEISTENIVM, Ill. Augustei ad Salam Leucopetrensis quondam Rectorem & P. P. Ordinarium, longe meritissimum, qui eruditione sua haud vulgari in rebus Theologicis, non minus ac Philosophicis, & sigillatim in arte perorandi styloque elegantiori, ita inclaruit, ut perpetuam post se reliquerit sui memoriam. Avia Nostro fuit SALOME, e familiâ Schimpferianâ, omnibus virtutibus, quæ sexui tam masculino quam sequiori insignia præbere solent ornamenta, instructissima matrona; quandoquidem ea non solum in rite educandis liberis tota fuit, sed etiam in studiis, in primis vero, Theologico, Astronomico elegantiorique stylo tantos fecit progressus

sas, ut publice numero eruditarum tœminarum adscripta fuerit; qua de re genuinum testimonium prostat apud Autorem des Geschichts-Spiegels p. 741. Inter ascendentes vero lineæ maternæ numerare eidem contingit Dn. MARCV M Dornbluth Jur. utriusque D. Regisque Poloniae & Elect. Sax. Consiliarium quondam & Consulem seniorem Civitatis Dresdenis longe meritissimum, cuius & cineres devota mente veneratur; Aviam autem SOPHIAM EVSEBIAM Höpnerin matronam pietate modestia aliisque virtutibus mulieribus ornatissimam, ex matrimonio Viri Nobilissimi & Consulissimi JO. HEINRICI Höpners, Hereditarii quondam in Körpsch/ Dösch und beyderseits Ult. Dösch/ Elect. Sax. Commissarii Camere, & Praefecti Officiensis, cum SOPHIA EVSEBIA Schneiderin, per multos annos feliciter continuato progenitam, qui Dn. JOH. HEINRICVS HOEPNERS, patrem coluit Virum Max. Reverendum JOANNEM Höpner, S. S. Theol. Doctorem, P. P. Consistorii & Facult. Theol. Lipsiensis Affectorem, & Capituli Misericordis Summe Reverendi Canonicum, Pastorem Ecclesie ad St. Nicolaum & Superintendentem Lipsensem, longe gravissimum. Prima lectissimæ matris prælaudatae cura eo tendebat, ut animus optimæ indolis filii tam Christianæ & salvificæ doctrinæ non minus ac aliarum optimarum litterarum principiis imbueretur, atque in dies redderetur cultior, quam ob causam Praeceptoribus Scholæ Crucianæ, quæ Dresden est, eundem commendavit infor mandum, ubi B. Rectorem Dn. M. GELLENIVM, Correctorem M. GELLIVM, & Dn. M. ZIEGENHALSIVM solide ac fideliter docentes anscultavit, postea vero in Gymnasium illustre Electorale Saxonicum Portense se contulit, quo loco B. Rectoris Dn. M. SCHRE

BERI

BERI, Correctoris D. M. SCHRAMMI, cuius accepta beneficia nunquam non gratissima mente numerat, item Dn. M. FREYTAGII hodie Rectoris & denique M. WEIDNERI Collegæ sexti, præcepta audiuit. Triennio autem & quod excurrit ibidem transacto Vitebergensemque Academiam ingressus, in Philosophicis Dni HASSII Prof. Moraliū, Dni M. GVHLINGII, iunc temporis Facultatis Philos. Assessoris, nunc vero Diaconi Ecclesiae Chemnitiensis meritissimi; in juridicis autem Illustris Domini de WERNHER, Regis Poloniae & Elef. Sax. Conf. aulici, & ordinarii Facultatis Juridicæ, nunc autem eminentissimi Consiliarii Aulae Imperialis, nec non Dni D. MENCKENII, Regi Pol. & Elef. Sax. à Consiliis Appellationum, nec minus Dni. D. KRAVSII Prof. juris Publ. celeberrimi & Dn. CHLADENII, tunc temporis Doctoris, hodie vero Reg. Pol. & Elef. Consilii Appellati collegiis tam publicis quam privatis frequenter magnoque cum fructu interfuit. Peracto itaque in alma Vitebergensi biennio Lipsiam petiit, ibique ab ore B. Dn. D. GRIBNERI Regis Pol. & Elef. Sax. quondam Consiliarii aulae & justitiae, nec non Facultatis Juridicæ Lipsiensis Ordinarii, & Cti consummatissimi, Dn. D. JO. FLORENTIS RIVINI Prof. jur. Publici, Dn. D. PETERMANNI, Dn. D. Reicheli & Dn. D. SIEGELI non sine singularibus profectibus peperit. Peracto altiorum literarum studio die VI. Aug. An. MDCCXXIV sub praefidio prælaudati Dn. D. JO. FLORENTIS RIVINI, de Exceptionibus atque Prajudiciis, ut & ad reliquos Lib. XLIV. Pandect. Titulos juxta Schœppferi synops. Juris Priv. publice disputavit, & ab Inclita Facultate Juridica Lipsiensi pro Praxi examinatus, ad patrios rediit lares, ubi ab Illustri Regimine Regio Electorali, quod Dres-

dæ

dæ est, in numerum Advocatorum receptus, impetrato quoque in duabus Regio Electoralibus Præfecturis, *Augustusburgensi* videlicet & *Solpensi* Actuarii munere, per aliquot annos eodem laudabili dexteritate perfunctus fuit, donec iterum Dresden reversus in causis orandis operam haud vulgarem impendit. Tandem nostram Electoralem Universitatem accedens Ordini Nostro Juridico, ut præviis consuetis Speciminiibus publicis, dignitas Doctoralis Academica cum annexis Immunitati bus & Privilegiis eidem conferatur, per literas petitorias significavit, cui honestæ rogationi conlumatis suffragiis eo magis duximus deferendum, quo magis nobis, tam quod textuum ex jure civili & canonico eidem exhibitorum enucleationes, quam ipsum examen, quod sustinuit, rigorosum attinet, talem, qualem omnino desiderabamus, se probavit, atque eruditionem solide acquisitam Facultati satis superque ostendit; Futuroque itaque die XX. Octobr. præelectionibus suis publicis ad L. 13. ff. quod met. caus. novum doctrinæ suæ specimen edet, ac præterea eodem die horis locoque consuetis

DE SVCCSSIONE CLERICI IN GERADAM,

Inaugurali & solenni modo disputabit, quibus Actibus ut Reverend. & Perillustris Dn. PRO-CANCELLARIUS cum reliquis Dnn. Proceribus & Civibus Academicis interessè velint est, quod prolixiori mentis affectu rogo. P. P. sub Sigillo Facult. Jurid. Erfordiaæ d. 17.
Octobr. MDCCXXXIV.

(L. S.)

ULB Halle
005 355 729

3



1996
A

4158

